



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvit̃s, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

288. Feria 2. de ejus desiderio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 4. Domin. 17. post Pentecost. 509*

quasi unum quid animam cum Deo efficit,  
ita ut hostem non sentiat. Sunt hæ qualita-  
tes intensissimæ omnes in D. JESU Eucharis-  
tico, ut dicat D. Thomas: p. 3. q. 51. art. 1.  
ad 3. *Si homo particulari lumine cælesti amo-  
rem, quem sibi Deus ostendit, investigaret, in  
abyssum amoris Dei tam immensam deveniret,  
ut præ stupore & admiratione intellectus ejus  
deficeret, voluntas liqueceret, &c. Nam sicut  
proprium est amantium unum velle fieri cum  
amato, & sicut cibus fit una res corporaliter  
cum eo, qui illum comedit, sic Christus in sum-  
ptione Venerabilis unum nobiscum fieri voluit.*

MEDITATIO CCLXXXVIII.

*Feria 2. Domin. 17. post Pentecost.*

*De ejus desiderio.*

**A**spiciam Dominum summum omnium  
Regem, qui à me despiciabili vult amari,  
ut Pater. Petam, ut hæc voluntas DEI  
impleatur in me.

*Conf. 1.* Quomodo amor Dei tantum no-  
bis præcipiatur juxta illud August. 11. 7. in  
Epist. 1. Joann. *Dilige, & fac quod vis.* Hic  
amor debet esse latissimus, qui se extendat ad  
omnia Præcepta, & Consilia, implenda, ad  
omnia illicita etiã minima relinquenda, ad  
diligendum amicos & inimicos, omnèque  
amabile in Deo, & propter Deum. Debet esse

Y 3

longis.



510 *Feria 2. Dom. 17. post Pentecost.*  
longissimus, quia omne ævum includit.  
Subtilissimus, Quia ab omni creato se expediat.  
Profundissimus, quia omnibus se subijcit.  
Purus innocentia, a latus solitudine serviendi,  
cæcus, qui providentiæ humanæ rationes despiciat,  
nudus, qui ab omni creatura se expediat,  
sagittis instructus, qui cordi desideria perfectionis infigat.

*Conf 2.* Quia meis viribus tantum bonum, & supra omnem naturam amare non valeo desiderabo, & petam in me charitatem radicari, quæ tanquam radix aut truncus perfectionis omnes virtutes in me producat, sustineat, promoveat, omnia cogitata, dicta, facta mea ad Deum dirigat, & referat. Ideoque ab eo, qui paratus est dare, præsertim id, quod præcipit, petam amorem latissimum, extendentem se ad omne amabile in Deo. Petam amorem longissimum, quo vellem, si fuisset possibile, à puncto conceptionis, vel discretionis per totam æternitatem amâsse. Petam amorem sublimissimum, qui me à terrenis expediat, super creaturas offerat, ad resignationem & unionem cum Deo perducat. Petam amorem profundissimum, quo me ipsum despiciam, non ex ratione tantum, sed ex desiderio Deo placendi infra omnium pedes me ponam, omnia fugiam, quæ huic amori obsunt; omnia amplectar, quæ profunt eidem.

MEDI-